



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXXIX. Fusius Religiosæ vitæ encomium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

uit : ad eum ferè modum quo Potitiani contubernales in eremiticæ vitæ institutum conspirarunt, vnusque alteri ad perfectionem anteluxit. Inde ad Monicam ab exultantibus præ gaudio festinatum est; ordine res enarrata, animoque firmiter concepta sanctioris vitæ sententia declarata: quæ vicissim suprâ quàm dici potest, lætitiâ repleta, Deo misericordi gratias egit, à quo receperat amplius, quàm assiduis precibus lacrymisque rogauerat: utpote quia non Catholicum dumtaxat intelligebat ipsum fore, sed etiam *contemptâ felicitate terrenâ seruum Dei*, seu, quod idem est, virum religiosum: amplius de suscepto eius proposito religiosâ castitate seruiendi Deo, quàm de *nepotibus carnis eius* (nempe si matrimonium iniisset) gaudens. Ita enim Dominus eum ad se conuerterat, ut nec uxorem quaereret, nec aliquam spem sæculi huius, in eâ regulâ fidei, in quâ illum ante tot annos matrî eius reuelarat, consistens, per sacre Religio- nis, seu regularis vitæ in animo decretum votum.

*Alipius in
religiosi
cœlibatus
proposito sit
Augustino
socius.*

Lib. 9. Cō-
fess. c. 10.

*Religiosos
vocabant
olim seruos
Dei.*

CAPVT XXXIX.

Fusus Religiosæ vitæ encomium.

ID IPSVM religiosæ vitæ propositum egregie commendans, *Vbi, ait, tanto tem-
pore*

Lib. 9. Cō-
fess. cap. 1.

Leue Chri-
sti iugum,
Religio.

pore hæsit, & de quo imo altòque secreto eno-
catum est in momento liberum arbitrium
meum, quo subderem cervicem leni iugo, &
humeros leui sarcinæ Christi? suam hoc lo-
quendi modo indicans conuersionem ad
religiosum vitæ genus. Quod simili quo-
que periphrafi exprimit Epistolâ 39. ad Li-
centium: cuius Epistolæ sententiam huc
adduximus aliquatò prolixius, partim caus-
sâ religiosi status, quem Augustinus id tem-
poris est amplexus; partim vt rei, quam
etiam doctiores nonnulli controuertunt,
noua lux accederet. Fuerat ergo hic genere
nobilis Licentius pridem inter Augustini
discipulos: cuius cum ingenium excellens
perspectum haberet, vt Dei honor proxi-
miq̃ue salus per eum promoueretur, à li-
centioris vitæ genere, aulico nimirum, ad
religiosius institutum est traducere cona-
tus. Ac posteaquam asseruit Christi com-
pedibus nihil esse iucundius, *Vincula* (sunt
eiusce verba) *huius mundi, asperitatem ha-
bent veram, iucunditatem falsam, certum do-
lorem, incertam voluptatem, durum laborem,
timidam quietem, rem plenam miseria, spem
beatitudinis inanem. Hisne tu inseris & col-
lum, & manus, & pedes?* (honoribus & com-
modis mundi inhiando) *& ambis inharere,
quò non modò inuitatus, sed nec compulsus
quidem*

Vinculorū
Dei & mū-
di antithe-
sis.

quidem ire debuisti? Ergone ingenium, quod
 in carminibus tuis video, quodque plango,
 non mihi liceat apprehendere, & immolare
 Deo nostro? Expectas ut ego iubeam sis bonus,
 sis quietus, sis beatus; quasi quiddam mihi die-
 rum gratius illucescat, quam ut ingenio tuo
 fruam in Domino? Nunc mihi dic, Hoc opus, ut
 iubeas tantum. Ecce iussum meum, Da mihi te,
 si hoc opus est tantum; da Domino meo te, qui
 omnium nostrum Dominus est, qui tibi illud
 donauit ingenium. Si calicem aureum inue-
 nisses in terrâ, donares illum Ecclesia Dei.
 Accepisti à Deo ingenium spiritualiter au-
 reum, id ergo ei eiusque offer Ecclesia. An ipse
 non iubet? Audi Euangelium: Clamabat, in-
 quit, IESVS, Venite omnes qui laboratis, &
 onerati estis, &c. si hac non audiuntur, aut vs-
 que ad aures audiuntur, expectasne Liceti, ut
 Augustinus iubeat conseruo suo, & non plan-
 gat potius, frustra iubere Dominum suum,
 imò non iubere, sed inuitare, & rogare quo-
 dammodo, ut qui laborant reficiantur ab eo?
 Sed videlicet præfidenti collo iugum mundi
 iugo Christi est incundius: qui si nos laborare
 cogeret, vide quis cogeret, quâ mercede cog-
 ret. Vade in Campaniam, discce Paulinum egre-
 gium & sanctum Dei seruum, quàm gran-
 dem fastum seculi huius, tanto generosiore,
 quanto humiliore ceruice incunctanter excus-
 sit,

NOTA.

Ingenium,
ut vocat,S. Augusti-
nus aureū,

Deo eiusque

Ecclesia of-
ferendum.

Matth. II.

Paulinus
mundum

contemnat.

fit, vt eam subderet Christi iugo, sicut subdi-
dit: & nunc illo moderatore itineris sui quie-
tus exultat. Vade, disce, quibus operibus inge-
nij, sacrificia laudis ei offerat, refundens illi
quidquid boni accepit ex illo, ne amittat om-
nia, si non in eo reponat, à quo hæc sunt. Quid
astuas? quid fluctuas? quid imaginationibus
mortiferarum voluptatum aurem accommo-
das, & auertis à nobis? Mentiuntur, moriun-
tur, in mortem trahunt. Non dicit verum, nisi
veritas, quia Christus est veritas. Veniamus
ad eum, ne laboremus; iugum enim eius leue,
& sarcina eius leuis est. Ac simili modo Pau-
linus, ad quem sæculi amatores Noster hic
remittit, ex nobilissimo & opulentissimo
(Proconsul enim fuerat) pauper humilif-
que Christi causâ factus, hortatur eum-
dem Licentium ad communionem veræ
cælestis illius mannæ, quod in eremi agro,
inque abdicationis sui cellulâ prior ipse in-
uenerat, eumque ita prouocat sequenti
carmine:

Tempora-
lia mētun-
tur, moriū-
tur, & in
mortem
trahunt.

Pia ad sæ-
culi cōtem-
ptum mo-
nitio.

Epist. 36.
apud Au-
gustinum.

Tollere humo, sed nunc dum spiritus hos
regit artus,
Mente polum penetra, nil mora carnis
obest.
Corporeis iam nunc morere actibus, & bo-
na vite
Cælestis liquido præmeditare animo.

Spiri-

*Spiritus es, quamquam tenearis corpore, si
nunc*

Mente piâ victor, carnis opus perimas.

*Frater Alipius est, Augustinusq; magister;
Sanguinis hic consors, hic sator ingenij.*

Tanto fratre vales, & præceptore Licenti:

Et dubitas pennis talibus astra sequi?

*Quidquid agas (nam te nec mundus sperat
amicum)*

Nō daberis terræ, debita Christo anima.

*Tu thalamos licet & celsos mediteris ho-
nores*

Nunc, olim Domino restituere tuo.

*Quid retrahis fera colla iugo? mea sarcina
lenis,*

*Suaue iugum, Christi est vox pia, crede
Deo.*

*Et caput adde iugis, da mollibus ora ca-
pistris,*

Demissoq; leui subde humeros oneri.

*Nunc potes hoc, dum liber agis, dum nulla
retentant*

*Vincula, nulla tori cura, nec altus ho-
nor.*

Hæc bona libertas, Christo seruire, &c.

*Meritò igitur Christo hanc seruitutem in-
genuam prudentissimus quisque seruiat. Vt
enim ipse nos reficiat, inquit Augustinus, tol-
lamus iugum eius super nos, & discamus ab*

eo,

eo, quoniam mitis est & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris. Atque eminens quidem intuentibus, religiosæ vitæ susceptio fugaque voluptatum tristis ac laboriosa videtur: verum rem vti est considerantibus, plena suauitatis, commodi, quietisque, eadem deprehenditur. Qui enim huiusce vitæ bona consecretantur, utcumque requiem quærant, non inueniunt.

Religiose
vita susce-
ptio boni
plurimi,
quietis præ-
sertim ple-
na.

Lib. 4 Cō-
fess. c. 12.

Hic non est
vita, multo
minus vita
beata.

Enarr. in
Psal. 59.

Ven. Tho-
mas Kemp.

Idem Augustinus, *Non est, clamat, requies ubi queritis eam: querite quod queritis, sed ibi non est, ubi queritis. Beatam vitam queritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Et descendit huc ipsa vita, & tulit mortem nostram, & occidit eam abundantiam vitæ suæ, & tonuit clamans ut redeamus hinc ad eum in illud secretum, unde processit ad nos. Cuius hortati certatim religiosi homines acquiescunt, præuiam istius æternæ felicitatis requiem hinc inuenientes. Pennas insuper habet hæc leuis Christi sarcina, subleuans in cælum, & à terrâ hominem eripiens, quod religiosum humeris onus (si modò tale sit) subeuntem copiosa suæ gratiæ auxiliique cælestis benedictione Deus præueniat. Suauiter autem equitat, quem gratia Dei portat; & securè is nauigat, quem adspirantis Numinis aura secunda propellit. Quamdiu verò sæcu-*
lari-

laribus turbis animus exercetur, velut in æstu quodam fluctibusque mediis agitur: quibus tum periclitari desinit, cum religionis quasi nauim benè compactam editamque conscendit: non vt hanc extra seruari omnino nequeat, verùm vt Christo consulenti optime, ipse sibi vicissim optime consulens. Si namque per vastissimum mare inter præsentissima hostium pericula nauigandum tibi esset in extremam Indiam, cumque naues essent oblatae non paucae, quamquam non satis validae, præter has esset tibi liberum ipsammet prætoriam nauim optimam instructissimamque conscendere; ane tam insigni occasione neglecta, quamlibet aliam triremem quassatam & armamentis destitutam inire præligeres? an non potius animo gratissimo beneficium acciperes, adeoque si spes non esset per teipsum impetrandi, amicos in eam rem subornares? Quanto magis igitur ad euitandum animi perpetuum naufragium, in hoc adeo tempestuoso vitæ huius pelago, inter tot Scyllas & Charybdes, totque malæ spei capita, totque inter piratas hostesque virtutum, consultius est sacram Religionis nauim conscendere, quâ minimum anxij perennis beatitudinis portum consequare? Verùm esto, intelligatur hoc

*S. Religio-
nis & na-
uis compa-
ratio.*

107115

G

peri-

periculo cessante, promissum alicui cælum esse; nonne tamen melius fuerit hoc ipsum omni modo curare, vt non solum æternâ felicitate fruatur, sed etiam splendidiorē in eo gloriam assequatur? Et sanè si quis alicui argenti faceret aurive copiam, haud magnopere dubitaret is, quod est præstantius, accipere: pariq̄ue modo si millia centum in annos singulos alicui possent obtinere, mallet is tam ingentem cæsū, quàm millia duo vel tria dumtaxat? non solent enim homines lucra, quantumuis exigua, contemnere. Insignis hæc est censenda prudentia, pluribus confortibus in cælesti regno per virtutum monasticarum copiosam (vt sic dicam) messem antecellere, quàm parcè hîc seminando id agere, vt inibi parcè metatur. Quantocyus ergo foret hæc excutienda segnities. Etenim per hæc Religionis sacræ quasi deserta in terram promissionis, cælum nempe, contententibus, pro cæpis & alliis Ægyptiis cæleste manna Deus elargitur, id est, spirituales epulas, quæ, sicut verus illud manna saporem in se habebat omnis delectamenti, sic voluptatum, quæ hîc videntur esse, dulcedinem omnem non modò superant, verùm etiam in seipsis eminenter, & simul abundantissimè continent. Quo fit, vt non
aliter

Omni ratione enitendum, vt sublimiorē in cælo locū adipiscamur.

Mira deserti Religio- nis delicia.

aliter quàm præstantissimum vinum degu-
stantibus, confestim zythum quoduis &
aqua vilescit; ita religiosis hominibus tam
diuino nectare plenis, nil deinde terrenæ
dulcedinis placeat, nihil vltra desiderant,
vtque re ipsâ experiantur Dominum (iuxta
illud Dauidicum) in bonis replere deside-
rium eorum. Cùm enim Deum ipsum ha-
beant, inque Deo vniuersim omnia; illam
ipsam delectationem ex eo longè maiorem
percipiunt, quàm ex singulis rebus percipe-
rent, si singulis iis fruerentur. Vt enim qui
ingentem nummum habet aureum, mul-
torum nummum argenteorum pretium
ita possidet, ac si distinctè totidem argen-
teos haberet, atque multo commodius al-
terius monetæ pondere caret; sic qui cum
Deo per arctiorem nexum abdicationis
propriæ coniunctus est, ipsam compendio
totius boni naturam (quoad quidem in hac
vitâ licet) adeoque medullam eius penitiffi-
simam inuenit, quæ per vniuersum est di-
spersa. Hoc ipsum est quod B. Franciscus
frequens in ore habebat, *Deus meus, & om-
nia*. Quâ de re sic diuinè D. Augustinus:
*Quid amo cùm te amo? non speciem corporis,
nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce
istis amicis oculis, non dulces melodias sua-
uium cantilenarum omnimodarum, non flo-*

Psal. 102.

*In Deo sunt
omnia, quæ
propter a-
morem eius
in hoc sacra-
to relinqui-
mus.*

Li. 10. Cō-
fess. cap. 6.

rum & unguentorum & aromatum suauelentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum: & tamen alio quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam colorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum interioris hominis mei: ubi fulget anima mea, quod non capit locus; & ubi sonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non spargit flatus; & ubi sapit, quod non minuit edacitas; & ubi heret, quod non diuellit satietas. Hoc est quod agno cum Deum meum

*Christus
B. Laurentio
iustiano
apparet,
specie pul-
cerrima
virginis.*

amo. Legimus B. Laurentium Iustinianum; cum adhuc ætatis esset iuuenilis & lubricæ, Christum Dominum vidisse specie virginis, vultu placidissimo, & eximio lucis splendore solis radios exuperante, eumque in hunc modum rogasse: Curnam, ô adolescens, in res istas externas dilaberis, & pacem sectando, teipsum per multa dispergis? Quod quæris, penes me est: ego, si me sponsam acceperis, pacem hanc certissime polliceor. Ille & tantâ pulcritudine, & tam ingenti promisso illectus, rogauit quod ei nomen & genus esset: ad quem Christus: Sum Dei sapientia, quæ vt homines in pristinam dignitatem restituerem, vnde peccando exciderant, seruilem hominis formam assumpsi. Huic cum B. Laurentius

tius

tius respondisset, libentissimè eam se accipere, ille quidem hominem exosculatus cum gaudio, vt videbatur, abscessit, iste autem non multo pòst tempore, ad oblatas nuptias spirituales sese contulit, in quibus promissam delectationè feneratò percepit.

CAPVT XL.

Suaue Augustino carere voluptatibus carnis.

HÆC cuncta reipsà expertus & Noster comprobat, adeoque in ipsomet aditu religionis constitutus ait: *Quàm suaue* Lib. I. Cōfess. cap. I.
mihì subito factum est carere suauitatibus nugarum (corporis videlicet & rerum externarum) *& quas amittere metus erat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas* (Domine) *à me, vera tu & summa suauitas, eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Igitur ob hanc sæcularium rerum abdicationem mente nunc decretam, *animus meus liber erat à curis ambiendi præfecturas, & acquirendi possessiones caducas, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & mirà dulcedine talium deliciarum affectus, garriebans*